



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

34 Salomo Davidis Filius. Scylla.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Et umbrâ territum ad umbras rapit,  
 Sic suis inventis obeunt curiosi,  
 Samuel igitur,  
 Bis ut vivat, semel moritur,  
 Semel ut quiescat, bis moritur.  
 Tu ne quiescenti obstrepas,  
 Tace Viator, ac perge,

SALOMO  
 DAVIDIS FILIUS.

SCYLLA.

Triforme hoc Monstrum,  
 Humano capite, foemineo pectore, ferinâ caudâ,  
 scyllam putas? falleris:  
 Salomo est;

Hoc Pueri nemo sapientior.

Unus mortalium omnia scivit, nihil didicit.  
 Venit ad Juvenem prudentia, quæ Juvenes fugit:  
 Sui secuta apud pudicum,  
 Cui candor pro canicie.

Quod magis mirete, ad dormientem venit:  
 Musarum ductore somno, qui Musas fugat;  
 Itaq; per ocellas fores, oculos, ingressa est sapientia;  
 Vel hoc indicio cœlestis.

Nec venit indotata:

Sceptro manum porrexit Salomo cum cæteri ferulæ.

Ut dubites iter utri plus contulerit:

Nam per Sapientiam regnavit Puer, per Puerum Sapientia.

Prima imperantis cura fuit Patris sepulcrum:

Tanta magnificentia, ut Patrem æternaverit tumulando;

Errant nimirum qui, ne degeneres arguantur,

Parentis famam extinguunt,

Non extinguitur fama, cum desiderantur extincti.

Eadem pietate

Mortem patrio testamento legatam Joabo dedit.

Optimum novi Principatus fundamentum ex talium ruina:

Qualis enim Populus, si pessimi optimates?

Ex

Ex Rege Sacerdos, Templum dicavit,  
 Mundum voces, non Templum,  
 Spatiis tripartitum, plagis quadrifidum:  
 (Annis totidem, quot Mundus solibus absolutum,  
 Merito igitur undecumque delatae opes;  
 Ut Mundum Mundus ornaret.  
 Hinc à divinis ad civilia; uti decet.  
 Urbem mœnibus, Regnum urbibus stipat:  
 Ut populum cohibeat, quem auxerat pace.  
 Regiam & tribunal, gemmâ & ostro consternit:  
 Ne venalis speretur justitia, quæ opes calcat,  
 Atque ut profugam revocet Astræam,  
 Aureos mores in aureâ domo restituit.  
 Nusquam lautius Sapientia sedit,  
 Qua interprete implicitas lites momento explicuit.  
 Illam præcipue, de superstitie Infante.  
 Qui cum duas inter Matres, nullam Matrem haberet,  
 Utrique mori iustus, ut neutri cederet.  
 Amore indice Matrem invenit:  
 Eâdem Dictatrice Sapientiâ, Divina scripsit Oracula.  
 Cum quicquid diceret, Oraculum esset,  
 Hæc Regiæ fama Sapientiæ, Reginarum scitissimam traxit.  
 Quæ majorem famâ, Regem mirata,  
 Plura didicit, quàm quæsierit;  
 Plura retulit, quàm obtulerit:  
 Nam Salomonem alterum in utero retulit.  
 Sed heu, quid Mortalibus tutum?  
 Tantum ingenium mareuit, cum maturuit.  
 Ut neicias utrum magis mirere.  
 Senium in Infante, an Infantiam in Seno.  
 Tantæ causa dementia, libido.  
 Nec mirum, ex Bersabæa nato.  
 Septingentis conjugis, trecentos concubinas,  
 Innumerabilia stupra, conjunxit.  
 Amavit quotquot vidit;  
 Voluit quotquot amavit, habuit quotquot voluit.  
 Stupente naturâ,  
 Quod fœminis omnibus unus sufficeret, non uni omnia.  
 Sic effœminatus Salomo sapientiam amisit.

Veneris perfidiâ ; quæ in alios non mitior, quam in Filium ;  
Amantes excæcat, ut Amorem.

Hinc Asmodæi quam Dei legibus obsequentior,  
Suorum Idolorum Idola coluit ;  
Et Venerem veneratur venerens.

Ut non immetitò Venerem vocarint Luciferum,  
Cum alter colatur in altero.

Sequuta, ut solet, luxuriam fecit :

„ Nam nimia liberalitas rapiens alitur.

Ergo, Regni opibus in gynæceo profligatis,  
Pex gravissima tributa amicos nudat, ut amicas ornet.

Quin per magicas artes aurum scrutatus,  
Feralis Æruscator, vectigales Dæmonas facit ;  
Et Plutum quærit apud Plutonium.

Tot inter flagitia pacem amisit pacificus :  
Salomo, non jam Salomo.

Bellante Idumæo, latronum duce.

Rebellante Jeroboamo tributorum quæstore ;  
Pex Mammonæ ministros, Mammonæ cultor affligitur :

Donec divino Numine afflatus Achias  
Suam pallium, & Salomonis Regnum, divisit.

Sic obiit insânus Sapiens ;

Hebræorum decus & dedecus.

Inops inter opes, sterilis inter conjugia,

Unico de tot thalamis suscepto Filio.

Nam nihil Veneri nocentius, quam Venus,

Primus è Christi Proavis Stygem coluit ;

Et primus intravit.

In dubio argumento : nam Idola posuit, non sustulit ;

Et flenda leguntur, non fletus,

O saga Puellatum forma,

Quæ insanire Sapientiam facit,

Et Hominem vertit in scyllam,

Oh, si sapitis, hanc Scyllam fugite.

---

## ROBOAM

SALOMONIS FILIUS.

PA-